

Septentrionalis uel Meridionalis, secundum quod fuerit prædictum aggregatum Septentrionale uel Meridionale, uel pars uincens. Similiter scias de loco uel Planeta, uel stella, ad quã fit directio, & habebis ipsius declinationem æquatam, & ipsius partem. Post hoc considera si amborum locorum declinationes æquatæ sunt æquales, & in eadem parte, quia tunc ambo, scilicet significator qui dirigitur, & Planeta uel stella, ad quã dirigitur, sunt & currunt in eadem circumferentia. Si uero ipsorum declinationes æquatæ fuerint inæquales, aut in diuersis partibus, nõ sunt, nec currunt in eadem circumferentia, sed in diuersis. Et scias quòd si Planeta uel stella nõ habet latitudinem, sed est in ecliptica, tunc est & currit in circumferentiã sui gradus, sed si habuerit latitudinem, tunc est & currit in circumferentiã gradus, cuius declinatio est æqualis, & in eadẽ parte declinationis æquatæ ipsius Planetæ. Et si declinatio æquata planetæ uel stellæ nõ reperitur in tabula declinationis, scias quòd ipse planeta uel stella, non est nec currit in circumferentiã alicuius gradus zodiaci, quia eius declinatio æquata est maior quàm tota declinatio zodiaci ab æquatore. Aspectus uero seu radiatio, est radiosa cõmixtio planetarum & stellarum ad inuicem à certis & determinatis locis circuli, seu coeli per quam influitur, & applicatur eorum uirtus unita ad certam & determinatam partẽ terræ. Aspiciere uero & radios proijcere, est planetam radios suos multiplicare et extendere ad certam & determinatam partem circuli, in qua si fuerit planeta uel stella, contingit eorum uirtutes uniri et commisceri, & ad terram applicari. Sciendum est autem quòd sapientes antiqui assignauerunt solummodo quatuor aspectus, seu quatuor species aspectuum, uidelicet, aspectum oppositionis, trinum, quartum & sextilem. Est autem aspectus oppositionis qui attenditur penes lineã diametralem, subtensam arcui sex signorum, quæ sunt medietas circuli. Ita quòd duo puncta terminantia dictam lineã dicuntur se aspiciere de oppositione, à quibus punctis lineæ rectæ ductæ ad centrum constituunt prædictam lineam diametralem, quarum utraq; constituit unum angulum